





1751 M

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
RENVNCIATIONE
OFFICII PVBLICI

QVAM
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTVNT

P. 260.

PRÆSES
JOANNES DANIEL FVNCK, J.V.D.

ET
RESPONDENS
JOANNES CHRISTIANVS WOLFF
BARTENSTEIN. BOR.

PARTES OPPONENTIVM TENEVNT
JOANNES HENRICVS HOFF REG. BOR.
JOANNES CHRISTIANVS KROKISIVS MARIAEB. BOR.
ET
MELCHIOR ERNESTVS DE KNOBLAVCH EQV. BOR.
H. L. Q. S. clocccli DIE 14. DECEMBR.

REGIOMONTI,
STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAE TYPOGRAPHIAE.



INSTITUTIONE
ACADEMICA
DE
REPUBLICA
OFFICII PARRICI

CONSENSU MAGNIFICI Rectoris
et FACULTATIS Rectorum
SUBMITTUNT

JOHANNES DANIEL FINKLER

JOHANNES CHRISTIANUS WOLFF

JOHANNES CHRISTIANUS WOLFF
et
JOHANNES CHRISTIANUS WOLFF

MELCHIOR ERNESTUS DE KNOLEWICH Rector
H. L. C. P. assensu die 14. Decembris

PROFESSOR
STANNO REGNE AVIARUM ET ANIMALIUM TYPOGRAPHIAE



1750

VIRO

REVERENDISSIMO, GENEROSISSIMO, PRO-
SAPIAE ET FORTITVDINIS GLORIA
ILLVSTRI,

JOANNI A LEHWALD,

AVGVSTI BORVSSORVM REGIS

SVMMO EXERCITVS PER PRVSSIAM

DVCI,

SVPREMO FORTALITIORVM PILLAVIENSIS ET
MEMELENSIS PRAEFECTO

MAGNI ORDINIS AQVILAE NIGRAE EQVITI

LEGIONIS PEDESTRIS TRIBVNO, SATRAPIAE

TANGERMVNDENSIS PRAEFECTO,

DOMINO HEREDITARIO TERRARUM TRENCK, REGIT-
TEN, HONIGBAVM, MASSAVNEN etc.

S.

VRO

REVERENDISSIMO PATRI
MAGISTRO JOHANNI
LUDWIG

JOHANNI A LUDWIG

AVGVSTI BOVENSIS
SYMBO

SVBREVIO

MAGNI ORDINIS
REGNI

DOMINI HEREDITARIO TERRARUM TENGE, REGIT
FRY, HONORAVIM, MASSAVIM



VIRO
AVCTORITATE, FAMA, MVNERIBVSQVE
MAXIME CONSPICVO
PRAENOBILISSIMO, EXCELLEN'TISSIMO
AMPLISSIMO

JOANNI
STAFFELSTEIN,
REGIS BORVSSORUM AB AVLICIS RERVM
BELLICARVM ET REDITVVM REGIO-
RVM CONSILIIIS

PATRONO SVO
MAXIMO HONORIS CVLTV PROSEQVENDO
D. D. D.

Respondens
JOANNES CHRISTIANVS WOLFF
Bartenst. Bor.

VIRO
AVOCATVS
JOHANNES
STATENSTEIN
REG. MAGISTR. AN. ALIA. BEUM.
PUBLICUM ET RUDIVM REGES.
PAM. CONSILIS
PATRONO SVO
MAGRO REGES. CIVI. BEUM.

M. 1648
JOHANNES CHRISTIANUS WOLFF
H. 1648



JOANNES DANIEL FVNCK,
PRAESES.
JO. CHRISTIANO WOLFFIO,
RESPONDENTI, S. P. D.

Breue temporis spatium, ex quo tu mihi innotuisti, et propter non nimis ita diu ingressum academicae vitae curriculum innotescere potuisti, dilectissime Wolffii, tantam mihi inspirauit tui ideam, vt praeclaras animi dotes, propensum in omne fere scibile studium, et indefessam in percurrendo Jurisprudenciae stadio industriam hic publice profiteri non erubescam. Vrit mature, quae vult vrtica manere. Modestia tua, quae in Iuvene tot paucorum annorum non dicam rara esse solet, sed vt mihi quidem videtur, rarissima, non permittit, vt pluribus te extollam encomiis. Nec hoc opus est. Personant acroateria Teskiorum, Sandiorum, aliorumque laudibus tuis. Principibus vero placuisse viris non vltima laus est. Quid ergo adhuc superest, quod ego addere possem? Addam tamen aliquid: frueri virtute tua, quae generosae indolis homini remunerationis loco esse debet, et si dignum me iudicas, me dilige, si potes, me ama! Vale. Dabam Regiom. Anno MDCCCLIII. Iduum Decembr.

Geleby-

Selehrter Wahrheits-Freund! beschütz der Wahrheit Reich!
Zeig Deinen Trieb zu Ihr und Deinen Wiß zugleich.
Euclides, der Dich liebt, und der Dich auferzogen,
Hat Deine Wissenschaft schon längstens abgewogen,
Wolff, Dessen Nahmen du mit innerer Regung führst,
Und in Dir einen Trieb zu gleicher Größe spührst,
Die Beyde werden Dich zur Göttin Themis leiten;
Vom großen Wolff geführt, wirst du, mein Wolff, nicht gleiten.

Mit diesem wenigen, wolte seinen geehrten Freund und Au-
ditorem in der Mathematic auf die Cath: der begleiten

Christian Bernhard von Ganden,
Phif. et Med. D.

Ich weiß es werther Freund! was Dein Character sey,
Vergnügt und aufgeweckt, gelassen, redlich, treu.
So kennet man Dein Herz, so wird Dich jeder schätzen,
Und Dir in Deiner Brust, ein daurend Denckmahl setzen.
Jetzt rühme sich auch Dein Fleiß, und Deine Wissenschaft,
Erkenne denn des Rechts Nothwendigkeit und Krafft,
Laß Deinen Lehrer Dich zum ächten Schüler haben,
Werd so geschickt wie er und äufre Geist und Gaben!
Erwarte drauf den Lohn der Rechtsgelehrsamkeit,
Steig zu den Ehren auf, die sie den Söhnen weiht,
Die ihre Waage nicht zu leicht, und schwach gefunden,
Mit ichten Lorbern, sey Dein Myrthen-Kranz verbunden.
Behaupte jetzt Dein Amt, das Du so rühmlich führst,
Der Tag sey hell, den Du mit Deiner Arbeit zierst,
Und wirst Du denn vergnügt den Posten niederlegen,
So sey ein Candidat von andern neuen Seegen.

M. Sindner.



PROLEGOMENA.



Nullam fere scientiam tot abundare regulis, exceptionibus, ampliationibus, limitationibus, communibus Doctorum contra communes opinionibus, ac Jurisprudentiam, vt aiunt, ciuilem, neminem, qui illam e limine saltim salutauit, ignorare arbitrator. Possent nisi in re maxime cognita versarer, hanc propositionem multis confirmare exemplis. Sed sufficere mihi potest, allegasse, diuinam legum scientiam, propter tantam rerum incertarum multitudinem, et contradictionum varietatem, multis hiulcam et male cohaerentem visam esse. Nam si verum est, quod contendit Heineccius (a) nihil hodie fere iustum aut iniustum, nihil aequum aut iniquum esse, cui deesse possit Doctorum auctoritas, profecto opus est, vt qui velit Jurisprudentiam discere, hunc sibi quam maxime a Ictorum insidiis cauere oporteat. Vnde vero haec incertitudo Juris, vnde haec diuersitas? Nisi me omnia fallant, et nisi auctoritas tantorum virorum, quibus fontes harum rerum penitus inuestigare curae cordique fuit, me decipiat, certe principia incerta et non satis determinata in causa sunt, vt mutuis telis se vtrisque conficiant Icti et Jurisprudentiae labes adspargatur vix extinguenda. (b) Cicero, qui minabatur, se si sibi homini occupato stomachum

(a) Heinec. in praefat. elementis Juris secundum ordin. Instit. praemissa,
(b) Non intempestiue hic legi possunt G. B. u. D. D. H. Beckmanns Gedanken vom Gebrauch und Misbrauch der Exceptiv Sätze, so wohl überhaupt, als insbesondere in der Rechtsgelahrtheit.

machum mouerint, triduo Ictum professurum c) iam suo tempore huic malo medendo, manum admoere medicam cupiens, sequens proponit remedium (d) „si quis, inquit, effecerit, vt primum omne „ius ciuile in genera dirigat, deinde eorum generum, quasi membra „quaedam dispertiat, tum propriam cuiusque vim definitione decla- „ret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis magis magnam atque „vberem, quam difficilem atque obscuram „ O si non proposuisset solum, sed etiam applicasset hoc remedium Cicero. Sed nunc malo inueterato sero medicina paratur, cui demendo vnus hominis vita sufficere nequit. Cuius enim est, bone Deus tanta ingenii fecunditas, vt ne leuiter quidem vlla in parte deficiat, nusquam incurrat, displiceat nemini? Interim non vituperandam esse eorum industriam arbitror, qui quantum concesserunt superi virium, ad id conferunt, vt Jurisprudentiae sua constet certitudo. Illum in historia litteraria profecto hospitem esse necesse est, qui negare vellet, hoc seculum in formandis talibus viris, qui ius omne ad principia certa reuocare annisi sunt, multo liberalius fuisse, quam quidem priora, vbi ad effata glossatorum priuatorumque Doctorum, tanquam ad lapidem Lydium omnia examinabant. Vtrum vero illi, proposito ex asse satisfecerint, velim iudicent alii. Quod me attinet, negare non possum, felicem horum virorum audaciam a me merito inter merita eorum referri. Sed quid hoc nunc ad me. Fruantur, per me licet, fortuna sua, regnent in scholis, legantur, recitentur, describantur. Mea nihil interest. Liceat nunc potius Grotiorum, Puffendorfforum, Wolfiorum aliorumque in Jurisprudentiam naturalem merita tacita profequi veneratione. Quid prohibet, quo minus exempla horum virorum quasi in speculo, nobis imitanda proponamus, et quis nobis vitio vertet, quod hodierna luce, non quidem ac illi oceanum, littora tamen tentare et materiae euidem speciali ex iure publico vniuersali sc. de renunciatione officii publici velificari hac lege incipiamus, vt primum generalia quaedam de renunciatione, tum de officio publico, et postremo quid iuris sit circa renunciationem officii publici breuissimis commentari officii nostri esse contendamus.

CAPUT

(c) Cicero in oratione pro Muraena c. 13.

(d) Cicero L. 1. de Orator. c. 17.

3
CAPUT I.

Sistens generalia quaedam de renunciatione.

§. I.
Renunciatio, quae et alias resignatio vocatur, est sufficiens declaratio, quod quis id, in quo ius quaesitum habet, habere nolit. Si declaratio haec fiat expresse, abdicatio, sin vero tacite, derelictio appellatur.

SCHOLIUM I.]

Multae leges occurrunt, in quibus receptus terminorum significatus, confirmatur. Nullae vero tanta luce mihi radiare videntur ac 1) L. pen. C. de Pact. 2) L. 20 ff. de offic. Praesid. et 3) §. 47. 7. De rerum divisione. In prima renunciationis, in secunda abdicationis, in tertia derelictionis, ita fit mentio, ut definitiones nostrae applicari possint feliciter. Nec refragatur communis usus loquendi. Carolus V. enim, quia expresse declarabat, se imperium, in quod per electionem ius adquisuerat, habere nolle, abdicasse imperio; Richardum verò Cornubiae ducem, Henricum regem Poloniae aliosque, quia tacite declarabant se imperium habere nolle, dereliquisse imperium ad unum affirmant omnes.

SCHOLIUM II.

Differt aliquantisper definitio renunciationis, quam habet Wolffius (e) et Glassey (f) a nostra definitione. Requirit enim illi 1) ut in renunciatione declarem nos ius quoddam quaesitum habere nolle. Quod etsi negare non ausim, tamen quum ius tantum per consequens, quippe quod connexum est cum re, cui renunciamus immediate, habere volumus, potius sic definire volumus renunciationem, quod sit declaratio, nos rem in qua ius quaesitum habemus, habere nolle 2) ut renunciatio semper fiat in gratiam alterius. In quo ego in primis Wolffium, si speciem renunciationis definit non reprehendo, si renunciationem in genere Wolffium in Wolfio require. Repugnat enim hoc usui loquendi, quem tamen sine necessitate deserendum non esse, ubique contendit. Possum enim rebus meis rennunciare, etiamsi nemo adsit, in cuius gratiam hoc fiat. Dividi tamen potest renunciatio in talem quae facta est in gratiam alterius, et talem quae non facta est in gratiam alterius, ita, ut illa sit renun-

A 2

ciatio,

(e) Wolf Jus Nat. Part. III. §. 103.

(f) Glassey Recht der Vernunft §. 194 et §. 209.

ciatio, per quam alteri ius quoddam propriam acquiritur; haec vero renunciatio, ex qua nemini ius quoddam proprium nascitur.

§. 2.

Quum renunciatio sit sufficiens declaratio, sequitur, quod si renuncians signis usus sit ex quibus consensum alterius satis concludere non possumus, renunciationem esse invalidam.

SCHOLION.

Doctores propterea contendunt, renunciationem esse stricti iuris, adeoque illam non praesumi c. Super hoc X. de renunciat. porro renunciationem nimis generalem non praedictare L. 21. C. ad Sc. Vellej. L. 35. ff. de Paet. Item renunciationem ad ignota et non cogitata non extendi L. 8. ff. De heredit. petit. L. ult. §. 3. ff. de Condict. indeb. §)

§. 3.

Quum renunciatio sit declaratio voluntatis, haec vero intellectum supponat, neminem renunciare posse, nisi qui usu gaudet intellectus et voluntatis, & quum in hoc facultas consentiendi physica consistat, neminem renunciare posse, nisi qui gaudet facultate consentiendi Physica tam certum est, quum quod certissimum.

SCHOLION I.

Ex illis quae modo dicta sunt patet, illa quae consensum reddunt inuvalidum e. g. dolum, vim iniustam, metum non vanum ab illo qui nullum ius habet incutiendi metum, errorem etc. etiam renunciationem reddere inuvalidam.

SCHOLION II.

Si hic liceret ad specialia descendere, et omnes illos, qui usu intellectus et voluntatis (sumis his vocibus in sensu generali, ita ut facultatem cognoscitivam et appetitivam inferiorem sub se comprehendam) destituti sunt, conquirere, tractatus facili negotio oriri posset, mole sua laborans. Sed vereor ne talia proferam, quae lippis et tonsoribus sunt notissima.

§. 4.

Quum in renunciatione aliquid requiratur, in quo ius habemus, ius vero sit possibilitas moralis, sequitur nos tantum illis renunciare posse quae moraliter i. e. secundum leges sunt possibilia.

SCHO-

(g) Barbof. et Tabor Thesaur. locor comm. Jurispr. voc. Renunciat. et eccleber. Schinemann in Diss. de renunciat. Juris sui non valida.

SCHOLION.

Haec propositio non potest conuerri simpliciter, sed tantum per accidens. Multa enim sunt secundum leges possibilia, quibus tamen renunciare non licet de quibus vid. §. 6. seqq.

§. 5.

Non ergo est renunciatio, si quis dicat se non velle agere id, quod cum legibus contradictionem inuoluit, quia in id, quod legibus repugnat nequaquam ius quoddam acquirere possumus (per princ. contrad.)

SCHOLION.

Minime genium defendimus, declarationem hominis, quod non velit agere, quae cum legibus contradictionem inuoluunt, esse inuolidam, sed tantum defendimus, hanc declarationem non esse renunciationem. Hoc ideo monendum esse duximus, ne quis falsum huic propositioni affingat sensum.

§. 6.

Quum renunciatio sit declaratio, quod quis id, in quo ius habet, habere nolit, nolitio vero supponat volitionem oppositi (h) sequitur nos, si rei cuidam renunciamus, oppositum eiusdem velle. Quum vero nemo id velle possit, quod cum legibus contradictionem inuoluit, siue moraliter impossibile est L. 15. ff. de condit instit (i) prono fluit alueo, in renunciatione et oppositum eius, cui renunciamus, debere esse moraliter possibile.

§. 7.

Illis ergo, quorum oppositum est moraliter impossibile, renunciare non possumus.

§. 8.

Id, cuius oppositum est moraliter impossibile, vocatur moraliter necessarium. Moraliter necessariis ergo renunciare non possumus (§. 7.)

§. 9.

Quicquid moraliter est necessarium, ad id obligamur, siue necessitas moralis vno nomine vocatur obligatio. Obligationibus ergo renunciare non possumus. (§. cit.)

A 3

§. 10.

(h) Baumgarten Metaphys.

(i) Legi meretur Kahrel Recht der Natur p. 64 §. 77.

§. 10.

Si adest obligatio ad agendum lex praeceptiua, si vero obligatio ad non agendum, lex prohibitiua oritur. Legi praeceptiuae ergo aut prohibitiuae renunciare non possumus.

§. 11.

Ex lege permissiua non oritur obligatio sed tantummodo ius agendi vel non agendi (per definit.) Quae quum ita sint, prona fluit consequentia: legi permissiuae solummodo renunciari posse (§. 1.)

SCHOLION I.

Quicquid de legibus demonstrauimus, valet etiam de omnibus actibus iuridicis, & si dicendum quod res est, actus iuridicus, quatenus continet obligationem ad agendum, cum lege praeceptiua, quatenus continet obligationem ad non agendum cum lege prohibitiua pari passu ambulat, & nonnunquam legis nomine venit.

SCHOLION II.

Id quod in Sp̄ho enunciauimus, apud IC̄os sequenti regula includitur: quilibet iuri pro se introducto renunciare potest L. pen. C. de Pact. Quomodo vero nulla fere regula sine exceptione, ita quoque tot hic adduntur exceptiones, ut tota pene regula concidat. Vt mihi quidem videtur exceptiones inde oriuntur, quod non satis determinata sit haec regula, & quod IC̄i non satis distinguant casus, ubi haec regula sola occurrit, & ubi cum aliis regulis in collisionem venit. In priori casu eodem modo uniuersalis est haec regula, quo defendimus neminem hominum vita aut membris corporis esse priuandum: in posteriori vero exceptiones oriuntur, & tunc prout leges collisionis docent, ita exceptio facienda ut maior perfectio obtineatur. Quodsi ergo lex permissiua, cum praeceptiua aut prohibitiua in collisionem veniat, quum obseruantia legis prohibitiuae aut praeceptiuae maior perfectio obtineatur, quam quidem si sequamur permissiuam, prono fluit alio exceptionem esse faciendum a lege permissiua, & sequendam legem praeceptiuam aut prohibitiuam. Eodem fere modo demonstrauit & exemplis stabiluit laudatus Schinemanus cit. diss. Multa ergo circumspectione opus est, si hanc regulam cum iudicio applicare velimus.

§. 12.

Quum in renunciatione requiratur ius quaesitum, sequitur illam longe differre a repudiatione, quippe quae nihil aliud est, quam declaratio, quod quis id, in quo ius delatum habet, habere nolit. Confer Legem notatu dignam L. 1. §. 7. ff. de Successor. edi&. vbi Vlpianus

7
pianus expresse defendit, ius non nisi delatum repudiari posse: *Decretalis honorum possessio, inquit, an repudiari possit videamus? Et quidem diebus fieri potest, sed repudiari eam non posse verius est, quia nondum delata est, nisi quum fuerit decreta. Rursum posteaquam decreta est, sera repudiatio est, quia quod acquisitum est, repudiari non potest.*

SCHOLION I.

Nemo nobis obiiciat terminis: renunciatio, abdicatio, repudiatio, in inconstantia loquendi alios adhuc adhaerere conceptus e. g. in formulis: renunciare aliquem imperatorem, renunciare modum agri, repudiare in materia de Sponsalibus, abdicare filium &c. Sed hi non sunt huius loci. Sufficit 1) nos determinasse significatum qui in nostra dissertatione, cum his vocibus coniungi debeat 2) hanc determinationem nostram in Scholis ICtorum non esse infrequentem.

SCHOLION II.

Ne quem termini in Spho occurrentes offendant, operae pretium nobis esse videtur, tabellam quamdam adicere, ex qua eorundem differentia satis pateat, nimirum Omne Ius est

vel acquirendum hoc, que iterum

vel Ius acquirendum in specie sic dictum

vel Ius delatum

vel quaesitum, quod subdividitur

in praesens

& futurum, quod rursus dividi potest

in quiescens, quod & dormiens vocatur

& futurum in specie sic dictum

vel Exstinctum.

Notiones cum his terminis coniungi solitas haurire poteris ex celeberrimo Netzelbladio. (k)

§- 13.

Ultima quaestio, quae in generali tractatione renunciationis proponi possit, haec est, vtrum ad renunciata detur regressus. Non puto responsonem ad illam illi fore difficilem, qui modica tantum cum attentione antecedentia pensitauerit. Diuisimus in fine Scholii II. ad §. I. renunciationem in talem quae facta est in gratiam alterius, & talem quae non facta in gratiam alterius. Quum ex priore
ius

(k) Netzelblatt Jurispr. Natur. Tom. I. §. 64. fgg.

ius quoddam proprium alteri nascatur; quod ipsi invito auferri nequit, sequitur tunc ad renunciata non dari regressum, quod secus se habet, si renunciatio non facta in gratiam alterius, vtpote in quo casu, quum nemo per regressum laedatur regressum in foro externo licitum esse explorati Iuris habetur. Conferri meretur L. II. C. de Reb. Credit.

CAPUT II.

Sistens generalia de officio publico.

§. 14.

Officium publicum est status peculiaris, in quo subditi operas in republica ad eiusdem perfectionem & administrationem facientes auctoritate superioris praestare perfecte obligantur. Is cui officium publicum impositum, vocatur officialis publicus.

SCHOLION.

Realitatem huius definitionis non solum inscriptiones titulorum ff. & C. de officio Quaestoris, Praefecti Praetorio, Proconsulis &c. demonstrant, verum etiam receptus inter ICios terminorum significatus, & communis usus loquendi satis probat. Ut ne vero quid dubii remaneat, per partes rem definitionis nostrae saluam tuebimur. 1) Officium publicum esse statum quendam ex definitione status satis patet, nulla autem est ratio cur, definitum rei cuidam denegari debeat, si definitio illi conuenit. 2) Officium publicum esse statum peculiarem ex eo liquet, quod non omnes subditi simul sint officiales publici 3) in officio publico operas praestari debere, experientia satis confirmat. 4) In officio publico operas ad perfectionem et administrationem reipublicae conferre debere, ex sine liquet, propter quem superior officia publica imponit. Confer Sphum sequentem. 5) In officio publico auctoritatem superioris ad perfectionem reipublicae aliquid confert, nondum propterea officialis publici nomine veniat, siquidem unusquisque subditus perfectionem reipublicae pro viribus promouere tenetur. 6) Perfectam obligationem in officio publico ad operas praestandas adesse ex eo concluditur, quod pactum inter superiorem et subditum intercedat, ubi ille certas praerogatiuas, dignitatem et nonnunquam salarium, hic vero certas operas vel ex natura officii publici vel ex superioris voluntate fluentes promittit.

§. 15.

Sine officiis et officialibus publicis consistere non potest res publica. Si enim extra omnem dubitationis aleam positum est 1) superiorem

riorem omni nisu ac molimine in id incumbere debere, vt salutem et securitatem reipublicae promoueat. 2) hunc finem sine medijs obtineri non posse 3) superiorem solum huic fini obtinendo non sufficere, profecto sequitur, superiorem ad finem reipublicae obtinendum medijs vti, et alijs imponere debere, vt operas eiusdem auctoritate conferant. Quis vero ex eo non intelligit, sine officijs et officialibus publicis consistere non posse rempublicam.

SCHOLION.

In Sacris litteris multorum iam mentio iniicitur officialium publicorum e. g. Des Hofmeisters. Gen. 40, 4. 1. Reg. 4, 6. Des Obersten Schencken Gen. 40, 9. Waffenträgers 1. Sam. 14, 1. Schreibers 2. Sam. 8, 17. 1. Reg. 4, 6. Canslers 2. Reg. 18, 18. Esai. 36, 3. 22. Actor 19, 35. Rentmeisters 1. Reg. 4, 6. heimlichen Raths Gen. 41, 45. des Hauptmanns Math. 8, 5. 18. Actor 19, 1. 22. Unter Hauptmanns Actor 22, 26. Ober Hauptmanns Actor 23, 15. Obristen über alle Hauptleute 1. Paralipom. 28, 3. etc.

§. 16.

Quum officium publicum sit status, status vero qualitas a qua iura quaedam et obligationes pendent (per definit.) sequitur, ab officio publico certa iura et obligationes pendere. Ex eodem principio quoque sequitur, quod si officium publicum, et per consequens cum eo connexa iura et obligationes in dubium vocentur aut negentur, locum habere actiones praeiudiciales. Melioris confirmationis gratia legi potest Proiect des Corpor. Iur. Frider. P. 1. Lib. 1. T. 4. §. 13. 16. 17.

§. 17.

Quum officium publicum sit status in republica, sequitur, citra relationem erga rempublicam nulla dari officia publica, vbi ergo nullus superior, vbi nullus subditus, ibi nulla officia publica. Non tamen proprie hic loquimur de operis, quas imperantes ad reipublicae salutem praestare tenentur, quamuis negari nequeat, necessitatem illas praestandi saepe vocari officium publicum, vt videre est ex capitulationibus Imperatorum nouissimis, ibi: daß mir in Zeit solcher unserer Königl. Würden, Amt und Regierung.

§. 18.

Quum officium publicum sit status in republica peculiaris, sequitur iura et obligationes officialis publici longe differre a iuribus et obligationibus subditi, quamuis vnus positio non sit alterius exclusio,

B

sed potius omnis officialis publicus simul sit subditus (§. 14.) sed non vice versa. Ex eodem principio quoque facillima deducitur consequentia: officialem duplicem repraesentare personam, nimirum personam subditi, et personam officialis. Ratione prioris homagium, ratione posterioris iuramentum fidelitatis ministerialis praestare solet, quamvis utrumque non sit necessitatis absolutae, vtiliter tamen adhibeatur, vt quantitas obligationis, quo subditus aeque ac officialis tenetur, eo magis in oculos incurrere possit.

§. 19.

Quum in officio publico tantum requirantur operae, non difficile est intellectu, officium publicum longo coelo differre a munere publico, quod sc. latius sese extendit, ita vt non solum rō facere seu operas praestare, sed etiam rō dare sub se comprehendat. Ita enim Marcianus L. 214. ff. de Verb. signif. *Munus proprie est, quod necessario obimus, (sc. vel dando vel faciendo) lege more imperioe eius, qui iubendi habet potestatem.* Non negari tamen potest officia publica quandoque munera vocari L. 18. ff. de V. S. vtpote quum species sint munerum publicum. Nec incicias ibimus officium publicum absque dignitate saepiuscule munus publicum adpellari vt patet ex L. 14. §. 1. ff. de Muner. et honor.

§. 20.

Ex diuersitate operarum in officio publico praestandarum diuersa oriri debere officia publica, quis est, qui nesciat. Ad duas vero praecipue classes illa reduci posse exinde patet, quod omnes operae vel cultum diuinum externum concernere possint, vel non. Prior classis exhibet officia ecclesiastica, posterior officia secularia, quae et officia publica in specie sic dicta, item officia ciuilia vocantur. confer. L. 6. ff. de cap. min. et L. 12. ff. §. pen. de Iudic. et ab aliis subdividuntur in sagata et togata, sed de his forsitan alio tempore.

SCHOLION.

Romanis non ignotam fuisse hanc diuisionem ex Dionysio Halicarnas. colligere licet, qui refert omnia officia publica a Romulo in patricios collata fuisse illumque voluisse, vt et sacra curarent, et magistratus gererent patricii. (1) Alii officia publica in officia palatina et officia regni distribuere solent, prout illa vel ad splendorem aulae et principis conciliandum, vel ad exercituum imperii

(1) Dionysii Halicarn II, p. 87.

perii aliquid conferunt. Priora, quum proprie ad perfectionem reipublicae nihil faciant, hic non pertinent. Quod vero posteriora attinet, intuitu horum, amplissimus hic mihi aperitur campus in quo exsultare posset dissertatio mea, si illa pro territoriorum varietate varia hic recensere, et personas singulares aequae, ac varia collegia, per quae hodie expediuntur officia publica designare vellet. At conscius mihi sum, legis quam mihi dixi, sc. me tantum generalia tractare velle. Ut tamen studiosae iuuentuti animus accedat pleniori manu hauriendi hanc materiam et occasio offeratur adveniendi viros, qui in hac universitate literaria notitiam rerum publicarum cum apparatu praelegere solent, exempli loco quaedam adicere lubet de Hispania et Gallia. In Hispania causae regiminis expediuntur per collegium quoddam, quod Consejo da Estado vocatur, atque ex quibusdam Escrivanos da Estado et assessoribus constat. Causae instituae expediuntur per 7. iudicia provincialia, quae Audiencias reales appellantur et a summo tribunali Consejo Real di Castilla dependent. Iudices ipsi in urbibus maioribus Corregidores, in minoribus Rigidos et Alcaldes nominantur. Reditus regis respicit collegium Consejo Real de Hacienda cognominatum. (m) In Gallia causae regiminis expediuntur per collegium quoddam, quod ex Cancellario et ministris status constat, cui adiungendum collegium, quod cognominatur Conseil des depeches, ubi 4 Secretarii status pro sua quisque iurisdictione causas regiminis refert et expedit. Causae instituae expediuntur in iudiciis minoribus, quae Prevôtes, Mairies, Judicatures, Chateellenies appellantur, et dependent a iudiciis quibusdam maioribus, quae Presidiaux, Senecbaussees, Baillages nominantur, et a quibus ad iudicia provincialia appellantur, quorum sunt 14. duodecim Parliaments, et duo Conseils Superieurs cognominata. Reditus regis respiciunt collegia, quae nomine generalitatum veniunt, cuilibet eorum praesidet vnus, qui vocatur Intendant. Omnibus vero praest le Controlleur General. (n) Abuterer certe loco, abuterer tempore, quid? quod patientia lectoris abuterer, si plura adhuc addere animus esset. Plura qui desiderat, et in primis, qui officiales palatinos in vnoquoque territorio cognitos sibi reddere cupit, conferat auctores, qui notitiam statuum adornarunt Conringium (o) Gundlingium (p) Puffendorffium

B 2

- (m) Zanetornato relazione del Governo della Corte di Spagna, Cosmopoli 1672. in 12.
 (n) Dictionnaire de France dans l'introduction pag. 38. seqq. vbi specialiora occurrunt.
 (o) Conring. Opus posthumum de notit. rerump. hodierna.
 (p) Gundlings Ausführlicher Discours über den jetzigen Zustand der Europäischen Staaten.

darfium (q) Achenwallium etc. (r) quem vltimum in primis ex ea ratione commendatum esse velim; quod fontes addiderit, et illa quae ad alias disciplinas pertinet, sedulo e libro suo eliminauerit.

§. 21.

Quum ad officium publicum requiratur auctoritas superioris, sequitur neminem nisi superiorem, aut illum cui superior hoc concessit, officia publica distribuere posse. Consentit L. vnic. ff. ad L. Jul. de ambit. vbi de magistratu ita ratiocinatur Modestinus: *ad curam principis magistratum creatio pertinet, non ad populi fauorem.* Hallucinatur itaque Bodinus, contendens magistratus creationem non esse ius maiestaticum, quia subditi interdum magistratum sibi constituunt. (s) Quasi vero subditi hoc propria auctoritate faciant.

SCHOLION.

Solent ad meliorem probationem, officium publicum auctoritate principis esse constitutum, litterae dari a superiori subscriptae, quae in Codice probatoriae aut Codicilli, in Novellis Diplomata vocantur. (t) Apud Romanos quidem omnia officia publica, auctoritate superioris constituuntur, non vero omnes officiales accipiebant codicillos. Maiora officia et dignitates codicillis a principe subscriptis dabantur. Hinc Codicilli Consulares, Proconsulares codicilli perfectissimus, clarissimus, Senatorii, honorarii L. 23. C. Th. de Praetor. et Quaest. L. 5. C. Th. de Perfectissim. dignit. L. 74. C. Th. de Decur. In L. 10. C. de diuers. offic. et appar. iudic. Lib. XII. Tit. 60. quaedam recensentur officia publica, in quibus Codicillorum opus erat. (u) Officia minorum Praesidum in Albo tantum vel apparitorum matriculis scribebantur. (v)

§. 22.

Quum officia publica a voluntate superioris pendeant et certa iura obligationesque connexas habere debeant, sequitur superiorem extra iura et obligationes, quae ex natura officii fluunt, alia adhuc determinare posse, quae cum officio publico debeant esse connexa.

§. 23.

(q) Puffendorf Einleitung zur Historie der vornehmsten Reiche und Staaten in Europa.

(r) Achenvall Abriss der neuesten Staats-Wissenschaft.

(s) Bodinus de republica L. 1. c. 10. n. 150.

(t) Vide quae de Diplommatibus annotauit, C. H. Trotz ad Hermannum Hugonem, de prima scribendi origine p. 141.

(u) Gutherius de officis Dom. Aug. Lib. 3. c. 3.

(v) Perez ad C. Tit. de diuers. offic. et apparit. iud.

§. 23.

Dantur ergo iura et obligationes, quae in natura officii publici; dantur quoque, quae in voluntate superioris rationem agnoscunt sufficientem. Illa naturalia, haec positiua vocari possunt.

§. 24.

Summa iurium ex natura officii publici profluentium haec est, quod quilibet qui officium publicum habet, illa expedire possit, sine quibus officio satisfacere nequit. Haec enim sunt media, quorum ope finis obtinetur. Media vero et finis ita sunt connexa, ut aliquem ad finem obligare sine licito usu remediorum idem esset ac obligare aliquem ad impossibilia. Confer L. 2. ff. de Iurisd. ubi Iauolenus de Iurisd. ita loquitur: *cui Iurisdicctio data est, ei quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdicctio explicari non potest.*

§. 25.

Iura ex voluntate superioris cum officio publico connexa varia sunt. Plerumque tamen ex voluntate superioris praerogatiua, praecedentia et in genere dignitas, quim immo et salarium comitari solent officia publica. Hinc in litteris, quibus officia publica conferuntur, nunquam omitti solet clausula: cum omnibus honoribus, praerogatiuis, iuribus etc. Officia publica cum dignitate connexa vocantur honores.

SCHOLION.

Variis insignibus utebantur officiales Romani, quo eorum dignitas eo melius in oculos incurreret. Ita Seneca. (x) Quid habet, inquit, corona pretiosum? Quid Praetexta? Quid fasces? Quid tribunal et curvus? Nil horum Honor est, sed honoris insigne. Extra haec insignia Praesidibus prouinciae imagines prouinciarum in forma mulieris expressarum ipsisque subiectarum, et imagines principum in publicum prodentibus praeferebantur. L. 4. C. de Iniur. L. 23. §. 7. in fine ff. de Poenis. Non solum vero insignia verum etiam varii honorum tituli, ornamenta, et singularis reuerentia officiales publicos Romae a plebe distinguebant. Titulum clarissimorum virorum iure quasi proprio sibi adscribebant Senatores. eorumque coniuges L. 5. ff. de curat. furios. quamuis postea hic titulus, praesidibus prouinciarum aliisque tributus sit, ut videre est ex recentiorum Imperatorum Constitutionibus, quin immo multi noni tituli adinuenti sunt e. g. illustris, perfectissimus, spectabilis, etc. (y).

B 3

De

(x) Seneca Lib. I. de benefic.

(y) Cujacius ad L. 1. C. de dignit. et ex eo Perez ad C. Tit. de dignit.

De ornamentis Senatoriis, lato claus et calceis quos veteres mulleos Fefio refte appellabant et lunae impressam effigiem habebant, videatur Briffonius. (z) Vix opus est, vt de reuerentia, qua colebantur officiales Romani aliquid addam, quum Seneca mihi otium fecerit. (a) Si consulem, inquit, videro, aut Praetorem, equo defiliam, aperiam caput, semita cedam. Conferatur quoque Valerius M. (b) qui refert: Fabium filium consulem iussisse, patrem obuium equo descendere, cui pater respondit: non se despexisse in filio dignitatem, sed experiri voluisse, an eam tueri possit. Notatu digna sunt, quae occurrunt in L. 1. §. 5. ff. de Postul. sc. Coeco non licium fuisse postulare, quod insignia magistratus videre et reuereri non posset.

§. 26.

Obligationes ex natura officii publici descendentes hae sunt: Quilibet cui officium publicum impositum, debet nomine superioris illi incumbere, adeoque pati, vt recursus ad illum semper pateat, quin immo officium fideliter genere, et capropter rationem reddere. Non credo fore quendam, qui hoc in dubium vocabit, nisi qui naturam officii publici ignorat, et finem propter quem illud impositum, sibi non reddidit perspectum. Videatur Nettelblatt. (c)

§. 27.

Obligationes ex voluntate principis oriundae differunt, pro diuersitate officiorum publicorum, hincque in in vnam summam redigi nequeunt,

§. 28.

Quum officium publicum ad perfectionem R. P. conferre debeat, vnusquisque subditus vero perfectionem Reipublicae promouere perfecte teneatur, sequitur superiorem quemlibet subditum habere perfecte obligatum ad subeunda officia publica. L. 9. ff. de munerib. et honor. adeoque hunc ab illo ad subeunda officia publica cogi posse quod ius a quibusdam vocatur: das Nothrecht. (c*) Interim quia vnus subditus meliori modo, perfectionem Reipublicae promouere potest, quam alter, et superior pari modo, ac alius quisque, ad optimum eligendum obligatus est sequitur, superiorem talibus officium publi-

(z) Briffonius Select. Antiquit. Lib. III. c. 14. 15. 16.

(a) Seneca Epistol. 64.

(b) Valerius M. Lib. II. c. 1.

(c) Nettelblatt Jurispr. nat. Tom. II. §. 857. seqq.

(c*) Schortelius de antiqu. in Germ. Juribus C. 14. §. 5.

publicum imponere debere, qui viribus sufficientibus instructi sunt ad promouendam reipublicae perfectionem i. e. qui non solum virtutibus intellectualibus, verum etiam moralibus, quin immo, si opus sit, habilitatibus corporis ad expedienda negotia illis concessa gaudent, per consequens non nisi dignis conferenda esse officia publica. Imp. Theod. Arcad. et Honor. edicunt L. 45. C. de Decurion. vt ad subeunda patriae munera dignissimi meritis et facultatibus eligantur, ne tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non possunt. Videatur quoque L. 7. ff. de Decur. et L. vnic. C. de portiorib. ad officia nominand. ibique commentatores.

SCHOLION I.

Officium publicum nemini imponendum esse, nisi qui virtutibus intellectualibus, moralibus, et si opus est habilitatibus corporis instructus est, modo diximus. Quum vero virtutes intellectuales et habilitates corporis examine instituto innotescere, virtutes morales vero vel difficulter vel etiam plane non, ante susceptum officium publicum investigari possint (teste experientia) sequitur superiorem magis de virtutibus intellectualibus et habilitatibus corporis, si quae necessariae sunt, quam de virtutibus moralibus debere esse sollicitum. Accedit officialem publicum externe actiones secundum leges componere posse. Quid autem tunc superest, quod superior iure perfecto postulare possit? Huc faciunt verba auctoris iter subterraneum fingentis et sub nomine Nicolai Klimii latitantis, quae ex versione germanica sic sonant: Bey Beförderungen zu Ehrenstellen und öffentlichen Aemtern, ist vornehmlich auf die Geschicklichkeit der Personen zu sehen. Denn ob schon Frömmigkeit und Aufrichtigkeit, an sich selber solche Tugenden sind, die einen beliebt machen können, so sind es doch eben die Tugenden, durch welche man am öftersten betrogen werden kan. Denn ein jeder stellt sich fromm, wenn er weiß, daß er durch den Schein der Tugenden, sich den Weg zu Ehrenstellen bahnen kan. Und in eben dem Absehen stellt sich auch ein jeder ehrlich, und giebet sich für aufrichtig aus. Welchen noch beizufügen, daß von der Frömmigkeit und Aufrichtigkeit eines Mannes nicht so leichte zu urtheilen, ehe er zu einem Amte befördert worden, worinnen er allererst gleichsam, als auf einem Schau-

Schauplätze Proben seiner Tugend zeigen muß. Die Geschicklichkeit aber kan durch ein vorher unternommenes Examen gar leicht erfahren werden. Denn einem dummen und unwissenden Kopfe, ist es sehr schwer seine Dummheit und Unverstand zu verbergen, da im Gegentheile ein Heuchler sich fromm stellen, und ein Schalk in der Haut seine Schelmerey meisterlich zu verbergen suchet. Ein dummer und ungeschickter Mann ist entweder fromm oder böse; ist er böse, so ist es klar, daß die Unwissenheit Mißgeburten zeiget, wenn sie mit Bosheit verknüpft ist. Ist er fromm, so kan er wegen seine Dummheit die Tugenden so er besitzet, nicht zur Ausübung bringen, und wenn er selber Bubenstücke auszuüben sich nicht unterstehet, so wird es doch sein Knecht oder Diener thun, der ihm zur Hand gehet. (d).

SCHOLION II.

Vtrum dives an pauper in hac materia pro digniori reputandus sit, inter se disputant Icti, primum urgentes propter L. 45. C. de Decurion. aliosque textus, de quibus in fine huius Scholii. Verum si inscriptionem memorati tituli pensitemus, clarissime inde patet, hanc legem praecipue de Decurionibus loqui. Hos vero ad subeundum munus suum facultatibus quibusdam opus habuisse demonstrat Thomasius. (e) Mihi haec disputatio plane otiosa videtur, quum exploratissimi iuris sit, nec paupertatem quemdam facere suspectum, nec divitias a suspitione liberare, §. ult. J. de Suspect. tutor. et curat. L. 8. ff. eod. Casus tamen singulares occurrere posse, in quibus superior secundum regulas prudentiae agit, si divitibus prae pauperibus utrisque alioquin dignis officium publicum imponit, non negaverim, et ita intelligendos puto textus, qui mihi maxime obstare videntur sc. L. 6. pr. ff. de Muner. L. 1. C. eod. Nov. 15. in pr.

SCHOLION. III.

Cave tamen ne ex Spbo inferas, subditos examinare et indicare posse, vtrum princeps dignis officium imposuerit, nec ne. Sacrilegium hoc esse pronunciant Impp. Gratianus Valentianus et Theodosius L. 3. C. de Crim. Sacril.
Dispu-

(d) Nicolai Klims Unterirrdische Reise p. 106.

(e) Thomaf. Diff. de Vt. Pr. Doctr. Institur. de legitimat.

Disputare, inquit, de principali iudicio non oportet. Sacrilegii enim instar est dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator. Ratio in oculis incurrit: Princeps, quum imperium habeat, adeoque ius pro arbitrio determinandi actiones subditorum solus indicare potest, quis dignus sit. Subditis obsequii gloria relicta est. Ita Sallustius (f) Impune quaelibet facere, id est, regem esse. Accedit et altera ratio, quae in eo consistit, quod nonnunquam subditis sit impossibile de intentione Principis iudicare, quum hic saepe illam mira sollicitudine celari satius ducat. Nonne vero in tali casu a recto tramite deflectent subditi, et praecipiti suffragio condemnabunt principem, antequam causam dixerit? Certe non plane displicent mihi, quae teste Marquisio D'Argent (g) apud Venetos sunt in usu, sc. nemini ibi licitum esse neque in bonam neque in malam partem rempublicam eiusque constitutionem examinare, et desuper cum aliis communicare, et quidem ex ea ratione, ne quis de ignotis iudicet. Il faut, inquit, dans ce pais, avoir pour le Ministère autant de respect, qu'on a de liberté pour tout le reste. On risque même à le louer, presque autant, qu'à le blamer. Les Venitiens veulent, qu'on ne parle ni en bien, ni en mal de leur Gouvernement. Toutes les Discussions, qu'on fait à ce sujet, leur sont odieuses. Ils veulent, qu'on le regarde, comme les Athéniens regardoient le Dieu inconnu, auquel ils avoient fait élever un Autel, qu'ils se contentoient d'honorer dans le Silence sans parler de ses qualites, ni de ses Attributs. Quum ergo partim indignum, partim subditis saepe sit impossibile, actiones principum sub incudem vocare, sequitur sane, nulli subditorum permitti, sub hoc praetextu, quod officia publica non pro dignitate distribuerit princeps, obsequium officialibus denegare. Quanta, bone Deus, si hoc permissum, confusio, quanta turbae orientur. Salus publica suprema lex est, et huic se semper conformasse superiorem, quis est, qui non praesumat?

§. 29.

Ex eodem principio, quod officium publicum ad perfectionem reipublicae facere debeat, sequitur, quod, si subditus non amplius par reperiat officio publico obeundo, e. g. si male versatus sit in officio

(f) Sallustius Bell. Jugurth. c. 37.

(g) Marquis d'Argent Lettres Juives Lettre 48.

officio publico, aut propter aliud delictum suspicionem male gerendi officii publici praebeat aut decrepitae actatis sit, aut morbo laboret qui ipsum impedit, quo minus satisfacere possit officio, remouendus sit ab officio publico. Quia tamen in binis vltimis, aliisque similibus casibus iniquum esset, hominem, qui omnem vitam suam in perfectione R. P. promouenda consumsit, subsidiis vitae priuare, si sc. sine omni culpa sua officio administrando impar factus sit, omnino bene agit superior, si tali vel salarium cum officio habito connexum relinquat, vel aliam pensionem, vt subsistere possit honeste, soluat. Aequitas haec suggerit. Nullo modo vero iure perfecto ad ea obligatur princeps arg. L. 15. §. 6. ff. loc. conduct. cessante enim ratione, cessat etiam rationatum. Si quis vero per delictum se officio publico indignum, remotione dignum reddiderit, sibi imputet, quod cum officio publico simul necessariae vitae subsidia amittat.

SCHOLION.

Ex eodem principio quoque nec vilissimi negotiatores L. 6. C. de dign. nec infames nec iudicio publico damnati L. 2. cod. ad officia publica promouendi sunt. Quin immo leges Romanae disponunt vt illi, qui criminis solummodo accusati sunt, donec se purgauerint, repellendi sint L. vnic. C. de Reis postul. Quod et hodie non solum in accusatis verum etiam in inquisitis obtinere omnes defendunt DD.

§. 30.

Nec minus ex eodem principio, vt et eo, quod officia publica a voluntate principis pendeant, multae aliae diiudicari poterunt quaestiones: vtum sc. officia publica vendi possint, vtum plura officia publica vni committenda, vtum peregrini ciuibus in officiis publicis praeferendi, etc.

SCHOLION I.

Ad Primam quaestionem cum grano salis respondet vir maximi in re publica literaria nominis Mfr. de Montesquieu in libro, cui titulum fecit: L'esprit des Loix. L. 5. c. 19. Les charges, inquit, ne doivent pas être vénables dans les Etats despotiques, où il faut, que les Sujets soient placés ou déplacés dans un instant par le Prince. Celle vénalité est bonne dans les Etats Monarchiques, parce quelle fait faire comme un metier de famille ce qu'on ne voudroit pas entreprendre pour la vertu, qu'elle destine chacun à son deuoir et rend

rend ordres de l'Etat plus permanens. - - - Or dans une Monarchie, où quand les charges ne se vendroient pas par un règlement public, l'indigence et l'avidité des Courtisans les vendroient tout de même, le basard donnera de meilleurs sujets, que le choix du Prince. Enfin la maniere de s'avancer par les Richesses inspire et entretient l'industrie, chose dont cette Espece de Gouvernement a grand besoin.

SCHOLION II.

Non opus est, ut ad obstantes ex Jure Romano et Canonico leges operose respondeam. Ridiculum enim mihi videtur iura principis ex his fontibus derivare et diiudicare velle, quum tam certum sit quam quod certissimum, Jus Romanum aequè, ac Jus Canonicum non actiones principum, quippe quorum maiestas, ut loquitur Bodinus (h) nec maiore potestate nec legibus nec tempore definitur, sed privatorum actiones, et quidem in subsidium tantum, si princeps et iura statutaria nil disponant, determinare.

SCHOLION III.

Si a genere ad speciem rite procedat argumentatio, profecto sequitur et officia ecclesiastica suadente sic vilitate reipublicae, vendi posse etc. Nec memorent, quae pro contraria sententia ex sacris litteris de Simone Mago referuntur. Haec enim ad nostra officia ecclesiastica plane non quadrare tamis argumentis evicit, praeceptor olim meus B. Fleischerus, (i) ut nihil mihi addendum relictum sit. Adiciam tamen loco corollarii ex Spho principem, si re publica videatur, eodem modo, quo inter Protestantes sublata est ius iura, tollere etiam posse ordinationem alias cum collatione officii ecclesiastici coniungi solitam, non obstantibus assertis Pontificiorum, qui necessitatem ordinationis defendunt, quum episcopos successores Apostolorum factos esse credant, et sibi persuadeant, se omnem potestatem apostolorum etiam extraordinariam accepisse, hincque concludant, suam manuum impositionem eandem habere efficaciam, quam apostolorum, seque eodem plane modo Spiritum S. tradere c. v. C. 1. q. 3. c. 5. 7. de Consecr. D. 5. Concil. Trident. Session XXIII, c. 4. Verum quam lubrica sint haec Pontificiorum principia et inde deducta conclusio, pro more i. e. solidissime monstravit B. Just. Henning. Böhmerus (k) addens: ordinationem quidem esse ritum ecclesiasticum venustissimum, liberum tamen, nec

C 2

ad

(h) Bodinus de Republ. L. I. c. 8.

(i) Fleischers Geistliches Recht. L. 2. c. 28.

(k) Böhm, Jus Eccl. Protest. L. 1. T. 11. §. 11.

ad efficaciam ministerii S. necessarium. Conferatur quoque Fleischer (l) et Spenerus (m) qui sequentibus de ordinatione loquuntur verbis: Wie wir der ordinationi keinen besondern Characterem, oder andere Geisil. Kraft zuschreiben, als daß sie das öffentliche Zeugniß des Berufs und der auflegende Seegen umb des Christl. Gebets willen nicht ohne Frucht ist. Hiezu aber contribuïret die Successio der Person im geringsten nichts, und wo nochmals solte eine Superstition daraus gemacht werden, so wolte ich sie vor meine Person lieber nicht, als haben.

§. 31.

Quum ex officio publico perfecte obligemur, sequitur superiorem subditos ad officia publica continuanda cogere posse, quamvis regulæ prudentiæ aliud sæpe suadeant. Vid. interim L. 11. §. fin. ff. de Publican.

SCHOLIION.

Salus publica hic semper viramque facit paginam. Cui conformiter se cogat superior subditum, vi officium publicum continuet, nil aliud agit, quam quod media adhibeat ad finem sibi præscriptum consequendum. Eodem ergo modo ad continuanda officia publica sibi obligatum habet quemlibet subditum princeps, quo ille ipsi adstrictus est ad subeunda. Indicium corruptæ reipublicæ id esse, si cives officia publica subterfugiant (n) et multa ad illa capeßenda compellendos esse indicat (o) Plato. Nullam adeoque hic stinendam esse differentiam arbitror inter statum Democraticum, Aristocraticum et Monarchicum, vi id facit supra laudatus de Montesquieu, qui ita philosophatur: Les Loix doivent forcer un citoien à accepter les emplois publics dans le Gouvernement Republicain et non pas dans le Monarchique. Dans le premier les Magistratures sont des temoignages de vertu, des dépôts, que la Patrie confie à un Citoien, qui ne doit vivre, agir et penser, que pour elle; il ne peut donc pas les refuser. Dans le second les Magistratures sont de temoignages d'honneur: Or telle est la bisarrerie de l'honneur, qu'il se plaît à n'en accepter aucun, que quand il veut, et de la maniere qu'il veut (p) Nondum enim principia, ex quibus hæc colliguntur, satis certa esse?

(l) Fleischer I. c. L. 1 c. 17. §. 24. sqq.

(m) Spener in Tom. IV. Confil. Germ. c. 7. A. 4. Sect. 24. sqq.

(n) Plato de Republ. Lib. VIII.

(o) Plato de Legib. Lib. VI.

(p) Montesquieu L'esprit des Loix L. 5. c. 19.

esse, mihi persuadere possum. Virtutes enim in statu monarchico aequè motiua praebere debere actionibus patrandis, ac in statu democratico non verò solummodo honorem, qui saepissime etiam, vii ipse fatetur, cerebrinus est, naturam reipublicae bene compositae satis indigitare, extra omnem dubitationis aleam positum est, quamvis contrarium ex historia observasse sibi videatur vir laude mea maior. (q)

§. 32.

Priusquam huic capiti colophonem imponamus, vnica haec quaestio adhuc discutienda nobis videtur, vtrum sc. subditus se ipsum offerre possit superiori, vt officium publicum ipsi imponat. Rationes dubitandi oriuntur ex eo, quod ambitus officiorum publicorum apud Romanos inter crimina referatur, et nullum temere sit delictum publicum, de quo tot restant leges, quot de ambitu latae sunt. (r) Quod etsi in dubium vocare non ausim, tamen si naturam harum legum penitiorè inuestigatione penetremus, luculenter patet, non petitionem honorum in genere, sed illam, quae fiebat prehensione dextrarum, beneficia sua in singulos commemoratione, cicatrices pectore nudato ostensione, emtione, vi adhibita, et vt breuibus omnia dicam, fraudulentam petitionem sublata esse. Quid? quod Modestinus L. 1. ff. ad L. Iul. de amb. expressè defendat: leges de ambitu in statu Monarchico cessare, et quidem, vt Perez (s) putat, non ex ea ratione quod abrogatae sint, sed quod earum vtendarum occasio sublata, translata potestate creandi magistratus in principem, qui in sublimiori gradu constitutus, non commouetur pretio aut precibus ad dandos honores, sed iis praeficere solet viros, quos virtus et innocentia commendat. Rationes vero, quae pro hac quaestione affirmando decidunt, sunt bene multae. Vnam ex his tantum, quae vero ceteras claritate et firmitate vincit, quasi exempli loco proferam. Quilibet, propter pactum in constituenda republica initum, obligatus est ad salutem reipublicae promouendam, et quia salus publica suprema lex est, vnusquisque tantum ad id conferre debet, quantum possibile. Quo maiores ergo vires quis habet ad salutem reipublicae promouendam, eo maiori obligatione tenetur ad statum illum peculiarem adipiscendum, in quo salutem reipublicae promouere possit, i. e.

C 3

ad

(q) Idem L. 3. c. 6.

(r) Catalogum eorundem habet Heinec, Synt. Antiqu. L. 4. T. 18. §. 78. sqq.

(s) Perez ad Tit. C. Ad. L. Jul. de amb.

ad statum illum peculiarem adipiscendum, in quo salutem reipublicae promouere possit, i. e. ad officium publicum capeffendum. Quum vero officium publicum sine voluntate superioris consistere nequeat, nec princeps semper scire possit, quis sat dignus sit, sequitur quemlibet subditum obligatum esse, vt se principi ad officia publica offerat, per consequens quemlibet subditum ad illud ius habere, siue quod idem est, quemlibet subditum se ad officium publicum offerre posse.

§. 33.

Ex his, quae modo dicta sunt patet, hominem, qui se ad officia publica offert et vires sufficientes ad promouendam salutem reipublicae in statu quem appetit, et voluntatem principis votis suis respondentem habere debere. Prius absoluit vocationem diuinam internam, posterius externam. (t) Quilibet ergo, qui officium publicum appetit et vocationem diuinam internam et externam habere debet. Illam sine hac consistere non posse demonstrat Sphus 21. Quin immo DD. defendunt, incapacem, qui ad dignitates aspirauit extra ordinem puniendum esse. (u) Hanc sine illa subsistere non debere, euicit Sphus 28. subsistere tamen nonnunquam, quia superior errare potest, et subditis voluntatem principis examinare et in dubium vocare non licet vid. Schol. III. ad §. 28. Interim prudenter agit subditus, cui superior officium publicum imponit, si indignum se sentiens, se excuset, et potioem nominet, quod consilium suggerit L. vnic. C. de potior. ad offic. nomin.

CAPUT III.

De renunciatione officii publici.

§. 34.

Praemissa generali tractatione de renunciatione et de officio publico, nunc inoffenso pede progredi, et quid iuris sit circa renunciationem officii publici disquirere possumus, idque eo breuius et facilius, quum principia decidendi, quibus tanquam cardinibus tota nostra vertitur dissertatio, ex prioribus capitibus hauriri queant feliciter. Superfluum tamen esset omnia repetere, quae ex definitione renunciationis et officii publici, primo quasi intuitu sequuntur, vtpote quae in prioribus factis delibauimus, hinc singularia illa, de quibus huc vsque nihil dicere licuit, breuissimis annotabimus.

§. 35

(t) Willemberg diss. de diuina ad officia ciuitatis secularia vocatione.

(u) Brunnem. ad Tir. C. Si Seru. aut libert. ad Decur. adspir.

§. 35.

Primum itaque, quod hoc loco praetermitti nequit, versabitur, circa quaestionem praecudicalem, vtrum officio publico renunciare liceat. Scio illam a Ictis iam diu agitatam, pro Sectae et partium studio, modo affirmatiue, modo negatiue esse decisam. Mihi deposito auctoritatis praecudicio ex principiis superius stabilitis illam diiudicari, et negatiuam sub hac tamen limitatione, si salus publica aliter obtineri non possit defendi posse videtur. Quum enim sine officialibus consistere non possit respublica (§. 15.) omnis subditus quoque propter homagium aut potius nexum subdititium (§. 18.) inprimis si vocatio diuina interna et externa accedat (§. 21. 28. 33.) ad officia publica subeunda; propter iuramentum fidelitatis vero (§. 18.) et pactum cum superiore initum (Schol. ad §. 14.) ad officia publica continuanda obligetur (§. 31.) Obligationibus vero renunciare non liceat (§. 9.) sequitur officio publico renunciare sub dictis circumstantiis non esse licitum. Si cui demonstratio haec nondum sufficiens, aut obscura videatur. En aliam: Salus publica suprema lex est. Quodsi autem renunciatio officii publici cum salute publica consistere nequit, tunc illa non nisi illicita esse potest, aut quod vnum idemque est, Officio publico renunciare non licet, si facta renunciatione salus publica periclitatur. Concordat L. 20. ff. de offic. Praesid. vbi de legato Caesaris ita iudicat Papinianus: legatus Caesaris id, est Praefes, vel corrector prouinciae abdicando se non amittit imperium. Consentunt quoque, vt opinionibus aliquid demus, non spernendae auctoritatis Doctores. Matth. Stephani enim contendit; *neminem simpliciter imperium, aut magistratum a se abdicando amittere, quum eiusmodi abdicatio sit ipso iure nulla* (v) Anton. Faber ad dictam L. 20. asserit: neminem esse dominum suae dignitatis, sicut nec vitae nec membrorum suorum. Quin immo et Fritschius strenuus alias libertatis renunciandi defensor, a nostris partibus stare videtur (x) vbi et plures inuenies nobiscum sentientes. Hoc tamen dolendum, hos viros omnem omnino subditis adimere libertatem et ex iure Romano omnia sua metiri, quod tamen, vti mihi quidem videtur, in quo me quoque confirmat Illustr. de Munchhausen (y) pro regula decidendi, in hac materia sumi nequit.

SCHO-

(v) Matth. Stephani de Jurisd. L. 1. c. 15. n. 16.

(x) Fritsch de Resignat. c. V. n. 6.

(y) Phil. Adolph. de Munchhausen, in diss. de Jure ministrorum exigendi a principe dimissionem.

SCHOLION.

Propositionem illam, quam in Spbo demonstrauimus, a Romanis iam pro regula habitam esse, secundum quam obuientes casus decidebant, exemplo Camilli patet, quem quo minus dictaturae renunciaret, omni nisu impediuit Senatus Populusque Romanus. (z) Quod in specie officia ecclesiastica concernit, illis olim renunciare nou fuisse licitum, nisi ex iustissima causa, auctores sunt Thomassinus (a) et Petrus de Marca (b) Patres concilii Nicaeni, ut ex Can. XVI. huius Concilii manifestum est, a communione ecclesiae, excludendos esse decreuerunt clericos ecclesiarum suarum desertores. Cyrillus Alexandrinus in epistola quadam apud Balsamonem grauer pronunciat: si sunt digni qui sacra ministeria obeant, in iis maneant, si autem indigni ne per renunciationem exeant sed potius condemnati. (c) Hisce praemissis mirandum, inueniri adhuc Doctores, qui quamuis praegnantibus rationes, ius et mores Romani, consuetudo veterum ecclesiarum etc. contrarium euincant, omnem omnino tamen renunciandi libertatem subditis adscribunt. Ut ne vero fabulam narrare videar, prodeat in medium L. B. de Lyncker, qui ad euincendam subditis libertatem ita philosophatur: Wie dem Tnio freygestanden seine Dienste zu quittiren, etiam nulla causa supposita, secus ac in dominis, qui haud vnquam sine causa abigere debent officiales, weil ein Herr viel eher wiederum einen neuen Diener, als ein Diener einen Herrn finden kan, auch dieser sein ganz Fortun auf einen Herrn gestellet, darum er unverschuldet nicht zu bringen; er aber den fauorem libertatis vor sich hat, wodurch ihm von den operis sich zu befrehen jederzeit offen stehen mus. (d) quod tamen alio loco respondendo ad L. 20. ff. de O. P. ita temperat: Democh aber und

(z) Linius Lib. VI c. 1.

(a) Thomassin. de Discipl. ecclesiastic. L. II. c. 50. §. 3. p. 168.

(b) Petr. de Marca de concord. Sacerd. et Imper. L. VII. c. 8. §. 6. p. 320.

(c) Vid. Christ. Ludov. Crellius in diss. de Clerico ob Pactionem cum Patrono factam Saecerdotio se abdicantem, §. 2.

(d) Lyncker Resp. 47. n. 29.

und diemweil dieses nur allein von Diensten zu verstehen, welche man als ein *membrum vniuersitatis* dem gemeinen Wesen zu leisten schuldig ist, und also von den *muneribus publicis* zu denen ein jeder in der *Republique* gezwungen werden kan, nicht aber von dergleichen, welche anzunehmen, oder sich deren zu begeben frey gelassen ist, *de quibus potius procedit, quod per renunciationem vacet officium.* (e) *Haec omnia, vti mihi quidem videntur, tam male cohaerent, vt nihil certi ex iis concludi possit.* 1) *Supponit ille, dari officia publica, quae subditi, non vt membra ciuitatis, subire possint, quacum non fiant ad salutem publicam, quod tamen contradicit definitioni officii publici Spho 14. propositae.* 2) *Maiorem subditis asserit libertatem in renunciando, quam principi in dimittendo, quod tamen contrariatur principiis Juris publici vniuersalis.* *Puto enim nec principem sine iusta causa dimittere posse officialem publicum, nec subditum sine causa iusta renunciare posse officio publico.* 3) *Petit principium, subditis ex ea ratione libertatem renunciandi asserens, quia fauore libertatis pro se habent, id quod tamen erat demonstrandum.* *Lynckerio succedat Frischius et Philip. Adolph. de Munchhausen* (f) *qui distinguunt inter subditum et peregrinum, huic liberrimam renunciandi facultatem, illi restrictam concedentes et quidem ita, vt si in capessendo officio publico sibi aut expresse aut tacite, reseruauit renunciandi libertatem, etiam sine causa, si illud factum non sit, non nisi ex iusta causa facultatem renunciandi permittant.* *Ast nec haec mihi satisfaciunt.* *Nam 1) distinctio inter subditum et peregrinum plane hic non quadrat, quum peregrinus subeundo officium publicum fiat subditus, adeoque iisdem vinculis adstringatur quibus subditus. L. 35. ff. ad Municipal. Conferatur quoque Perez* (g) 2) *Reseruatio libertatis renunciandi non omnem rem conficere potest, quum etiamsi reseruata sit libertas renunciandi, princeps tamen ob salutem publicam cogere possit inuitum, vt maneat.* *Lynckerum, Frischiuum, et de Munchhausen excipere posset et agmen claudere Hildebrandus* (h) *alique id potissimum urgentes: successorem in imperio successorio pariter, ac praecipue electiuo non teneri ad confirmandum officiales antecessoris, adeoque et subditos ad continuanda officia non obligari.* *Sed respondeo: a principe ad subditos non licite semper argumentum duci, et si in hoc casu etiam ducere liceret, antecedens tamen nondum omni dubio carere, vt testantur Stryckius* (h*) *et Schilterus* (h**) *adeoque et consequens non extra Sphaeram*

D

- dubi-
 (e) Lyncker Resp. 183. qv. (f) de Munchhausen cit. diff. de Jure ministror.
 (g) Perez ad Tit. C. de Praetor. Lib. XII. T. 2. n. 6.
 (h) Henricus Hildebrand in diff. de Resignatione Homagii et Jurisd. imperata.
 (h*) Stryck in notis ad Lauterbach. Compend. Digestor. Tit. de Constit. Princ. voc. vtilis videtur.
 (h**) Schilter Praxis Jur. Rom. Exerc. 2. Th. 2.

dubitationis cadere. Nolo itaque amplius immorari dubiis, quae ex hactenus dictis et modo dicendis satis refutari possint.

§. 36. Si fontem, ex quo demonstratio prioris sp̄hi manauit, paulo accuratius perlustraueris, inuenies nullam aliam prohibitaē renunciationis esse, quam quod obligationes nonnullae, tum ad officium publicum suscipiendum, quam continuandum, et in genere ad salutem publicam promouendam adsint, quibus tamen renunciare non licet. Quodsi ergo hae obligationes cessant, cessare etiam prohibitionem renunciationis adeoque dari causas, ob quas renunciare, vt aiunt, officio publico licet, tam certum est, vt nihil possit esse certius.

§. 37. Si quis ergo vel propter relegationem, vel propter permissam emigrationem, desinat esse subditus, si capacitas administrandi officium publicum vel propter senium vel propter debilitatem corporis vel alias ob causas deficiat, si voluntas superioris vel plane consideretur, (e. g. si tempus ad quod officium susceptum expirauerit vt in capitulationibus militum, item si conditio sub qua officium impositum adimpleta sit, vt in assessoribus camerae imperialis, qui ante quadrantem anni se renunciare velle, indicarunt) vel verosimiliter non adesse iuste praesumatur, si copia aliorum, qui aequae bene, aut forsitan etiam meliori modo salutem publicam promouere possint, adsit, tunc renunciationem officii publici esse licitam, ex prioribus legitima deduci potest consequentia.

SCHOLION.

Plerasque causas, propter quas officio ecclesiastico renunciare licitum esse debeat, recenset Innocentius III. c. 9. et 10. X. de renunciat. quas Valens sequenti disichio exhibet: (i)

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit. (k) quas causas etiam in officiis publicis secularibus locum habere debere contendit Frischius (l) et Limnaeus. (m) Non vero omnes semper admittendas esse, ex sequentibus patet, ubi simul alias renunciandi sic dictas causas examinabimus.

§. 38. Quum obligationes, quibus subditus reipublicae tenetur, non cessent per malitiam plebis et periculum vitae, vtpote quae ob salutem publicam, si illa aliter obtineri non possit, a subdito liberime

(i) Valens in Paratit. Jur. Canon. Tit. de renunc. n. 3.

(k) Vid. Crellius cit. diff. §. 9. ubi pleraeque causae explicantur.

(l) Frisch. de renunciatione c. 1. n. 22.

(m) Limnaeus de Jure publico Lib. 11. c. 11. n. 12.

rime subeunda sunt, sequitur, officio publico ob malitiam plebis et periculum vitae non semper renunciare licere.

SCHOLION I.

Alias rationes propter quas haec causae merito pro spuriis habendae, adfert Crellius (n) Lene certe, inquit, et indignum probo viro in omni vitae genere videtur officiorum praestandorum necessitatem privata commoditate, et suo vel studio vel ignavia metiri. Eodem fere modo de his causis sentit Zieglerus (o) quem sequitur B. Spenerus (p) de officio ecclesiastico ita loquens: Berdruß und Widerwärtigkeit, so uns bey dem Amte von Leuten angethan wird, ist auch nicht die gnugsame Ursache. Es kan geschehen, daß ein Lehrer sein Amt mit Seufzen thun muß Hebr. 12, 1. Da es denjenigen nicht gut ist, die sie herausdrücken, aber es heisset der Apostel sie deswegen nicht weichen . . . wo etliche boschafte aus der Gemeine sich den Predigern widersetzen, und ihnen viel leides zu fügen, so vielmehr, da dieselbe gar außser der Gemeine und anderer Religion zugethan sind, die übrige Gemeine aber dennoch bereit ist ihrem Hirten zu gehorchen, so will die Liebe zu derselben, die ohnedem alles trägt und erduldet, erfordern, daß man ihr zu Dienste nicht nur länger arbeiten, sondern auch gerne länger leiden und mit sanftmüthigen Erduldung allerhand Berdrieslichkeiten, den Zuhörern, indem ja freylich nicht nur an einem, sondern an allem Orten, nächst der ersten unserer Bestallungs-Regel, unserm Gott treulich zu dienen, die nächste ist daneben und von solchem Dienst nichts als Berdruß zu erwarten, und willig zu leiden, nicht aber um solche zu entfliehen, das was Gott anbefohlen zu verlassen. Non absimili modo loquitur quoque liber Baro de Canstein (q) his verbis: zu einem rechtshaffenen Regenten (Beamten) gehöret daß man sein Leben bey den Schaafen lasse . . . Ordentlicher Weise aber lassen sie ihr Leben vor die Schaaf, wo sie ihre Amtsgeschäfte ihnen lassen so angelegen seyn, daß sie mit Arbeiten, und was sie dabey betrifft, ihre Kräfte desto eher verzehren, und menschlicher Weise davon zu reden, vor der Zeit das Leben schliessen. Dahin gehöret auch, daß man nicht eben das Leben selbst, sondern was die Natur wohl so sehr als das eigene Leben liebet, seine Gemächlichkeit, Ehre und Nutzen, gern und willig allezeit in Gefahr giebt, und auch zu verlieren willig ist, wenn nur den Anvertrauten ein wahrer Nutzen entstehen könne.

D 2

SCHO-

(n) Crellius cit. diff.

(o) Zieglerus ad Lanzellott. L. 1. T. 19. §. 5.

(p) Spener in vit. Volumine Consil. Germanic. c. 2. A. 2. S. 23.

(q) Liber Baro de Canstein in der Harmonie der 5. Evangelisten p. 5. c. 21. p. 810

SCHOLION II.

Quum vero salus privata tum demum negligenda, si salus publica obtineri non possit, alias vero omnis princeps etiam salutem uniuersusque privati in singulari, quantum possibile, promouere tenetur, sequitur, subditum, si copia aliorum subditorum adsit, qui sine periculo uitae in officio publico versari, et operis suis salutem reipublicae promouere possunt, audiendum esse, si propter malitiam plebis et periculum uitae officio publico renuuciare velit. Conf. L. 3. C. quamadm. ciuil. mun. indicunt.

§. 39. Quum subditus propter nexum subdititium etiam sine omni salario salutem reipublicae promouere, et si hoc optime in officio publico fieri possit, illud appetere et impositum continuare debeat; sequitur multo minus propter deminutionem salarii officio publico renuuciare esse licitum. Accedit deminutionem salarii non nisi in poenam, aut suadente sic vtilitate publica v. g. propter paupertatem ciuitatis, faciendam esse a principe. Si illud, imputet sibi officialis, quod deminutione salarii dignum se reddiderit; Si hoc, salus publica suprema lex est, et gaudeat officialis solatio, se esse medium promo- uendi salutem publicam.

§. 40. Eodem fere modo demonstrari potest nec propter degradationem, nec propter translocationem officio publico renuuciare licere. Quis enim defenderet, per illas cessare obligationes subditi ad subeundum et continuandum officium sibi recenter impositum? Si vero non cessant, profecto officio publico propter degradationem aut translocationem renuuciare non est licitum (§. 9. 35. 36.)

SCHOLION.

Alias etiam causas spurias, propter quas renuuciare non licet officio publico, misera cum industria congesti Frischius (r) non opus vero est, ut omnia speciatim examinemus, quum regula ad quam omnes omnino causae, quae fingi possunt, semel stabilita sit. (§. 36.) Sicco ergo pede praeterimus nimiam ambitionem, leuem iniuriam, impatientem animi inconstantiam, aliasque spurias causas, quippe quae ut ego quidem sentio, nullam omnino dare possunt dubitandi rationem.

§. 41. Quum ergo officio publico non (§. 35.) nisi ex iustissima causa (§. 36. 37.) renuuciare liceat solius vero principis sit iudicare, vtrum quis dignus sit, nec ne (Schol. III. ad §. 28.) sequitur hunc etiam solum examinare posse, vtrum causae, propter quas officialis officio publico se indignum sentit, iustae sint. Omnis itaque renun-

(*) Frisch. de renuuciat. cap. 4. n. 20.

renunciatio officii publici, non aliter nisi in manus principis fieri potest Vid. Tot. Tit. Decretal. de renunciat. ibique commentatores. Antequam enim superior acceptat renunciationem, non dicitur vacare officium. Post renunciationem acceptatam vero, ius superiori nascitur, vt alii possit officium imponere.

§. 42. Quum ex acceptatione renunciationis Principi ius quoddam oriatur (§. 41.) ipsi inuito auferri nescium, sequitur renuncianti inuito principe non dari regressum ad officium renunciatum (§. 13.).

SCHOLION.

Regredi velle ad officium renunciatum signum lenitatis esse indicant DD, multasque alias proferunt rationes, ob quas renunciantem ad officium publicum renunciatum, iterum admittere non debeat princeps. (s) Ast quam renuncians in errore iusto versari possit, quum quoque causae renunciationis cessare et superior ius suum per acceptationem quaesitum remittere queat, non video quid absurdi inde oriatur, si nonnunquam renuncianti ad officium renunciatum regressum concedamus. Puto ergo tunc tantum non dari regressum, si quis in iure suo laedatur per illum. Nemo enim iure suo priuandus.

§. 43. Quum per regressum ad officium renunciatum nemo in iure suo turbandus sit, omnino consequitur, quod si quis per gradus ascendendo locum renunciantis occupauerit, et in prioris locum sequens iterum successerit, quod teste Böhmero (r) hodie ipso iure fieri solet, renunciantem regredi volentem, vltimum occupare debere locum, adeo vt nec referuatio prioris loci aliquid operari possit. Haec omnia vero secus se habent, si salus publica aliud requirat.

SCHOLION.

Extra collisionem cum salute publica, qui regreditur ad officium renunciatum, vltimum occupare debet locum. Nec aliquid operari potest renouationis resignatae. Hanc enim fictionem sapere admitti nesciam, et naturae vocationis et naturae resignationis planè contrariari enicit Böhmer occasione controuersiae inter Hamburgenses anno 1702. agitatae, quum Jo. Fridericus Meyer ad S. Jacobi olim Pastor, postea ad aliam ecclesiam translatus ad priorem ecclesiam, ad plurimum instantiam esset reuocandus. (u)

§. 44. Quum omnis renunciatio in manus principis fieri debeat (§. 41.) huic vero soli ius competat distribuendi officia publica (§. 21.) sequitur renunciantem officio publico, sine principis consensu

D 3

per

(s) Böhmer de renouatione vocation. resignatae.

(r) Böhmer Jus Protest. eccles. Tit. de Renunciat.

(u) Böhmer locc. cit. et ex eo Fleischer l. c.

per renunciationem non posse conferre officium publicum in tertium quemdam. Quum vere princeps, quatenus hoc sine praecudicio maiestatis suae fieri potest, in alium ius suum transferre possit, sequitur subditum, si in ipsum ius principis translatum, in fauorem tertii ceteris paribus renunciare posse officio publico.

SCHOLION.

Renunciationem officii secularis in fauorem tertii Jure Romano non simpliciter esse prohibitam, ex eo patet, quod Justinianus L. ult. C. de proximis Sacror. Scriuor. permiserit, ut adiutores, qui deposito officio transeunt ad melloproximi vel laterculensis gradum, in serinio epistoliarum vel libellorum, aut sunt memoriales, alium coadiutorem in suum locum etiam pretio quodam interueniente subrogare possint. Quod et de Silentariis propter L. 30. C. de inoffic. testam. et Domesticis principum propter L. 6. in fin. C. de Advocat. divers. Judic. affirmandum. Sed tantum abest, ut hoc sine permisso principis, aut eius, cui hoc princeps concessit procederet L. 3. §. 2. C. de Proxim. Sacror. Scriu., quum potius Justinianus abusum huius permissionis praecuidens huic limites quosdam, ita ut non liceret adiutoribus qui ad laterculensis gradum in serinio memoriae promoti erant, nequidem ob senium vel morbum subrogare, posuerit, quin immo omnem magistratus nundinationem, tanquam improbitatis principum et finem prohibuerit Nov. 8. Quod vero renunciationem officii ecclesiastici attinet, illam nequidem tempore Clementis V. in usu fuisse obseruat Flaminus Parisus. (v) Sed hodie illa, quamuis plerumque nundinatio, aut alia commereii species intercedat, in canonicis et praebendis frequentatur, ita tamen ut hoc in casu apud Pontificios, quum ille ad reseruata papalia referatur, consensu Pontificis opus sit, quum renunciatio simplex iam sufficienter in manus episcopi fieri queat. Apud Protestantes in hoc casu propter generale principum approbatio principis expectanda, nisi princeps iam in renunciantem ius suum transtulerit.

§. 45. Quum officialis publicus officio renuncians habere nolit (§. 1.) et post renunciationem acceptatam non habeat (§. 41.) statum illum peculiarem, qui statui subditio superaccessit, sequitur renunciantem post renunciationem, qualitatem priuati nancisci adeoque plane amittere priorem ordinem.

SCHOLION.

Hoc eo monendum duximus, quod Jus Canonicum intuitu officii ecclesiastici rationes dubitandi offerat, et clericum renunciantem officio ecclesiastico ordinem ecclesiasticum non amittere defendat, ut constat ex c. 24. Concilii Chal.

(v) Flamin. Parisus de Resignat. benefic. L. 1. Qv. 2. n. 3.

Chalcedonenſis relato a Gratiano in c. 3. C. 20. qu. 3. et Concilio Tridentino ſeſſion. XXIII. de Sacr. ordin. c. 4. aliſque locis allegatis a Böhmero. (x) ubi ſimul Fuſtinianum citat in Nov. 6. c. 7. et Nov. 123. c. 15. placita eccleſiaſtica ſequuntur. Aſt quum hoc primitivae eccleſiae plane incognitum fuerit (y) et inſuper lubrico nitatur fundamento ſc. quod characterem quendam indelebilem imprimat confer. Schol. III. ad §. 30. non video cur principio expleſo concluſiones inde ductae adhuc ſubſiſtere debeant. Apud Proteſtantes ergo toties licita eſt renunciatio ordinis eccleſiaſtici, quoties officio Sacro renunciare permittitur. Longe alia quaefitio eſt, utrum clerici depoſito officio ſacro, aliud plane et fere contrarium vitae genus eligere poſſint, quam propter regulas decori cum Thomafio (z) negandum eſſe ſentio. Quod quum non rite diſtinguant Schilterus (a) Brunnemannus (b) multique inter Theologos, Spenerus (c) Dedekennius (d) qui omnes alias honoris cauſa mihi nominandi veniunt, ima ſupremis miſcent et quadrata rotundis, adeo ut in illis refutandis tempus terere, non vacet, praecipue quum a Böhmero et Fleiſchero omnia illa, quae dici debuiffent, ſuis dicta ſint.

§. 46. Quum ſubditus, poſt renunciationem officii publici acceptatam non amplius habeat ſtatum quemdam peculiarem ſtatui ſubditio ſuperadditum, ſublata cauſa quoque ſemper tollantur effectus, ſequitur renunciato officio publico, ceſſare etiam iura et obligationes ab illo pendentibus.

SCHOLION

Hoc recte ſe habet, ſi ſermo ſit de iuribus et obligationibus, quae ex natura officii publici ſtunt. Impoſſibile enim eſt, ſublata cauſa manere adhuc effectus. Aliud vero dicendum de iuribus et obligationibus poſitivis. Haec enim, quum a voluntate principis pendeant (§. 23.) etiam poſt renunciationem factam perſervare poſſunt. Hinc e. g. ſubditus depoſito officio publico, nunquam titulos honoris retinet, eodem ſero vivitur, ſalarium quandoque percipit etc.

§. 47. Ex eodem principio diiudicari poterit, in quantum ſubditus reſervata penſione annua renunciare poſſit officio publico.

(x) Böhmer in Jur. Prot. Eccleſ. Tit. de renunciat.

(y) Böhmer in Diſſ. VI. ad Plinium II. §. 13. et Fleiſcher Geiſſ. Recht P. 1. c. 5. §. 6.

(z) Thomaf. Diſſ. de deſert. ordin. eccleſiaſt. §. 25. ſqv.

(a) Schilter. Inſtit. Jur. Canon. L. 1. T. 14. §. 6.

(b) Brunnem. Jus Eccleſ. L. 2. c. 18. §. 16.

(c) Spener in deutſchen Conſil. P. 1. c. 2. A. 2. D. 2. Q. 3. p. 383.

(d) Dedekennius in Conſil. Theolog. Vol. I. P. 2. S. 9. n. 4.

Salarium enim, quum propter officium publicum eiusque administrationem detur, deposito officio publico, proprie non retinet subditus. Quum tamen salarium non naturale officii publici sit consecrarium (§. 25.) sed ex voluntate principis pendeat, sequitur principem, subdito etiam post renunciationem officii publici factam, totum aut partem salarii adhuc relinquere posse, quin imo propter aequitatem suadentibus singularibus circumstantiis saepissime obligari ad salarium vel partem eius, renunciatione facta soluendam (§. 29.).

§. 48. Nec minus exinde consequitur, subditum in initio anni renunciantem, salarium totius anni proprie nec retinere, nec petere posse. Quod retentionem attinet facile ratio dubitandi oriri possit ex L. 1. §. 13. ff. de extraord. cognit. praecipue quum leges facilius retentionem quum actionem concedant L. 1. pr. ff. de pignor. Interim quia dicta L. 1. de E. C. non de renunciatione officii publici sed si per mortem finiatur officium, expresse loquitur, quia quoque adiecta ibi ratio decidendi plane aliud suadet, nostros circulos minime turbare potest. Idem fere respondendum, si quis arg. L. 15. §. 1. C. de Aduocat. diuersor. Judic. renuncianti in initio anni, petitionem salarii annui concedere vellet. Praeterquam enim quod dicta Lex de Aduocatis fisci solummodo loquatur, et inuita Themide ad reliquos officiales in Praxi applicetur, primo intuitu illa perfecta patet, ibidem non de voluntario fine officii publici, sed pari modo vt in priori lege de morte quaestionem agitari, quae vero huc plane non pertinet. Certum ergo est subditum renunciatione facta in initio anni, salarium totius anni neque retinere neque petere proprie posse. Idem tamen hic monendum, quod in fine §phi prioris dictum est, sc. principem ob singulares circumstantias permittere posse, vt subditus in initio anni renuncians, salarium acceptum retinere, non acceptum petere possit.

§. 49. En Lector beneuole, disertatiunculam, quam tempus priuatae industriae destinatum, et petito respondentis pepererunt. Non omnia noua esse fateor, nec opus hoc esse puto, scio enim prurium inueniendi et proferendi noua, saepissime parere monstra. Accedit, docentem non semper satisfacere officio si noua proferat, satisfacere vero si dicenda distincte proponat. Si huic fini satisfecero, de cetero non ero sollicitus.



Königsberg, Diss., 1740-99

ULB Halle 3
004 587 936




f

1018

sb.







1751

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
RENVNCIATIONE
OFFICII PVBLICI

QVAM
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTVNT

PRAESES
JOANNES DANIEL FVNCK, J.V.D.

ET
RESPONDENS
JOANNES CHRISTIANVS WOLFF
BARTENSTEIN, BOR.

PARTES OPPONENTIVM TENEBVNT
JOANNES HENRICVS HOFF REG. BOR.
JOANNES CHRISTIANVS KROKISIVS MARIAEB. BOR.
ET
MELCHIOR ERNESTVS DE KNOBLAVCH EQV. BOR.
H. L. Q. S. clōbcccii DIE 14. DECEMBR.

REGIOMONTI,
STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAЕ TYPOGRAPHIAE.

